



orbis eruditus, auctoresque veteres e latebris erutos, ab interitu vindicatos, a mendis liberatos, & a librariorum correctorumque laciniis castigatos tenet, nuncius illi mittitur, & quasi multum damni in republica literaria dedisset, convitiis profcissa, calumniis onerata, tantum non cum sibilo exploditur. Quin eo invaluit hic Criticæ contemptus, ut tantum non ad Diabolum illa referatur parentem. *Omnino credo, Diabolum esse auctorem Critices, Davidis Parei quondam vox erat.* Iniquam hanc sæpe miratus forem, quæ malorum horum causa sit, quæ origo, paulo scrutatus sum altius. Et quantum quidem hariolando assequi mihi datum fuit, non suam insons Critica luit culpam, sed eorum, qui perperam illam profitentur, nec pro eo, ac par est, in ea versantur. *Primo enim nobilissimam se exercere artem jactarunt, qui circa orthographiam, ad superstitionem usque solliciti, ex vetustis inscriptionibus, marmoribus ac numis toti pendent, ac num carimonia, an cerimonia, ceterum, an ceterum, solemnus, an solennis, haud, an haut, quidquid, an quicquid, quotidie, an cotidie, triumphus, an triumphus, literæ, an litteræ scribendum sit, & sexcenta id genus alia, anxie disquirunt, ubi res in controversiam vocatur, ad GRUTERI Thesaurum, REINESII Syntagma, EZ. SPANHEMII de præstantia & usu numismatum commentarios, JOAN. SELDENI marmora Arundeliana, ARINGHI Romam subterraneam, SPONII Miscellanea, FERRETI Musas lapidarias, elata voce provocant, indeque, velut ex supremo tribunali, dictam promunt sententiam, omnes præterea doctos probosque viros, qui in ejusmodi tricis non æque desudant, alto supercilio contemnentes. Hi sunt, qui sub Criticorum nomine, homines verborum toti, nec altioris sapientie capaces, fumosam quandam & frivolum antiquariae doctrine speciem consecrantur. Diceret præter eos sapere neminem, ita sese supra ceteros efferunt, ita omnes velut infra se positos premunt, & tanquam extra communia ponendi, delicias faciunt, ovis scilicet felicibus nati, albæ gallinæ filii; iidem vero tam altos spiritus gerunt, & adeo longas inflant tibias, ut sine se stare non posse literas, sine se pessum abituras contendant: ut scite & ex vero de illis pronunciat, ille vastissimæ doctrine promus condus, CLAUD. SALMASIUS. Et ne quid ineptiarum reliquum faciant, in pictura literarum u & v, in adjiciendis, vel arcendis plane a Latina scriptione, Accentuum notis, in puncto vocibus, stylo*

Vid. Philippi  
Parei vita pa-  
rentis.

En Dedicat.  
Scriptoribus  
VI. Historiæ